A

XXXVIII

~~ANDA:~~

SCHOL.

# FONS PATENS;
SEV
# VIRGINI
AB ARCHANGELO SALVTATÆ
## SOLEMNES PLAVSVS;
QVOS,
Publica Festaque super, veteri de more, pompa
In TEMPLO admodum RR. PP. S. MARIÆ
Curtis Orlanding:
SCHOLARVM apud eosdem PARTHENIARVM
IVVENTVS,
Auspicatissimà Die,
Qua S. SPIRITVS illapsu summo fuit NVMINI
DESPONSA,
Augustissimæ Patronæ suæ optimè meritæ
Referebat, reddebat, resonabat:
*EMINENTISS:[MO] ac REVERENDISS:[MO] D. D.*
## CARD.[LI] BONVISIO
EPISCOPO LVCANO, COMITIQ; &c.
D. D. D.

LVCÆ, Apud Saluatorem Marescandali, & Fratres. 1674.

*SVPERIORVM LICENTIA.*

*EMINENT*$^{MO}$*: AC REVEREN*$^{MO}$*: DD.*

# HIERONYMO CARDINALI BONVISIO

## Epiſcopo Lucano, Comitique &c.

Iuuentus Parthenia F. P.

*VIRGINEO hactenus Concluſo FONTI, latiſſimaque hac luce omnium tandem votis Patenti Cuſtos nec BONVISIO benignior, nec HIERONYMO CARDINALI legitimus magis quærendus fuit, aut ſperandus. Etenim ſi Fons ille ſacer Betlehemitico ex Antro, perſpicua velut vnda Marianæ vmbra, ſcatens, D Hieronymum ſortitus eſt Poſſeſſorem: nonnè Fons ipſe Deiparæ, ſcatebris in Lucem ſuis deriuandis Lucenſis Vrbis Antiſtitem deligeret Hieronymum Te inquam; EMINENTISSIME PRINCEPS, qui Doctoris illius maximi in Nomine ac Titulo & Purpura, Doctrinam Sapientia, Vigilantia vigilias, ſanctitatem denique ac virtutes omnes ſanctiſſimis moribus & virtutibus tuis repræſentas? An nõ Regalis Vena, Regis omnium Fluuij genitrix vel concolore modeſtia Oſtrum ſibi tuum vendicabat? An non ad Cœlum ſaliens, pluuijſque demiſſa ab Aſtris, SIDERI hic tuo erat committenda? Cùm veteri Iure & inſtituto Aqua omnis publicos erogetur in vſus, cautumque lege ſit, nè quis priuatus in propria illã cõmoda diſtraxerit; Iure optimo, EMINENTISS: PRINCEPS laticis huius vniuerſo Orbi ſalutaris in Te vno Curatore cooptando vota conſpirarunt omnium: cui ſalus & cura eſt credita Populorum; Neque enim candidis Dominæ lymphis diſpenſandis aptior, quàm Dominici cruoris optimus Diſpenſator. Patere igitur tot inter Fontes, qui Nomine è Tuo quæſitam ſibi meritis ſuperbiam ſumunt; Cœleſtis quoque demiſſionem Fontis adrepere; quæque non niſi Diuinum Spiritum paſſa eſt Aquilicem, ſentiat vnum Te Diuiſorem, qui ſacrarum impoſitione manuum eundem Spiritum elargiris. Habeat hic quoque Ductus Ædilem in Te Maximo, Maiorem; habeat in Te, qui forma factus es Gregis totiuſque exemplar Honeſtatis, Cenſorem ſuum. Cenſebis hac vultu humaniſſimo, hoc eſt Tuo. Vmbras quibus tanti Fontis nitorem ingenuum ingenij noſtri caligo videatur infeciſſe, vel primo Clariſſimi SIDERIS Tui aſpectu, diſſipabis Sic tenuitas noſtra ad Ampliſſimæ purpuræ tuæ oſculum ſupplex ac procidua, deoſculandis mox ab Orbe toto pedibus Tuis facit augurium, vt qui modo FONTI Diuino præficeris, præſis quandoque & Tiberi.*

# AD LECTOREM.

NE miréris, Amice Lector, studium nostrum ac cultum ergà Sapientiæ Parentem & Gymnadum nostrarum Præsidem Virginem, qui proximis tantisper annis deferbuisse videbatur: multò auctius nunc efferuescere. Mora illa maiori pietatis ardori proficiebatur. Substitimus vt instauraremus affectum, quem qui altius haurit, exhaurit. Fontes etiam quandoque desidunt, & humo infodiuntur, vt largius erumpant, vt latius exuberent. Ad locum nunc vnde exierant reuertuntur vt iterum fluant. *Ecclef. 1.7.* Expositum inter aras Religioni tuæ Deiparæ Fontem; spectandum hic rursùm lumini reponimus tuo; an æquali gratia? haud quaquàm nos vades præstamus; cùm amiserit, qua fortè sola placuit, nouitatis venustatem. Non hic nitentibus è labris exilit; sat Nomine suo, hoc est Virgineo, diues ac nitens. Non operosis coercetur molibus, non pictis marginibus clauditur; quod enim manuum opus aut ambitus circumscribat huius Venæ vel *minimam capacitatem, capientem illum quem nulla res capit*? *D. Amphilochius orat. in Deip.* Sed densa velut in silua delitescens, minimè felicium ingeniorum obsitus vmbris, musco obductus & aggestis frutetis animos vna aduocat auocatque, oculos magis arcet, quam arcessat. Speramus tamen quibuscunque colorum, Picturæ, Artisque, careat ornamentis, satis argumento Pietati tuæ commendandum. Quod siquæ semel in templo arriserint, hic non probes; noueris animatam ab exanimi eloquentiam, vt mortuam aquam à viuenti distare. In omnibus fermè prima vis totum est, potissimum vero in haustu fontium. Carmina aquæ potoribus digna putes; at præter Aquas Helicon quid habet? Esto; non adhùc altius immersa Pirenem vrna turbauimus. Addiscentes sumus; proindè magis hic Pietatis, quam Poeticæ sensum spectes: Bonæ voluntatis monumenta ostendimus, non melioris ingenij. Omnia Discipulorum Tergeminæ scholæ præludia sunt, potissimùm verò supremæ, in qua insuper è primâ Classe nonnulli (nam reliquos Argumentorum paucitas exclusit) Ausonij Etruscique carminis ac Drammatis, nec non Latinæ & Græcæ Dictionis onere Magistros leuasse proprio vendicarunt honori. Habent omnes & laudem suam & veniam. Non vnus mentium vti nec fontium sapor, color, ingenium; ætate cursuque, vtraque augentur ac pollent. Verum nimiùm elapsi sumus. Virginea iam sicut illam vsurpasti modo repetatur origo, seu

# FONS PATENS.

Præ foribus Templi Maximis actutùm legentium oculis occurrebat artifici in tabula hæc superliminaris.

Inscriptio.

*Isa:55.1.* OMNES SITIENTES
VENITE AD AQVAS;
HAVRIETIS IN GAVDIO
*Id.12.3.* DE FONTIBVS
SALVATORIS. Philippus Honesti.

Super Ianuæ minoris fastigium consimili in tabula extabat altera
Inscriptio.

GAVDEAT TELLVS;
*Genes.1.19.* CONGREGANTVR AQVÆ
NON IN MARI, SED IN MARIA;
NE APPAREAT ARIDA.
*Daniel. 3.* BENEDICITE FONTES DOMINÆ,
BENEDICITE MARIÆ. Philipp: Hon:

Templum subeuntibus Augustissimæ Virginis Deo Sponsæ effigies super Aram maximam supplicabundis exposita, prima animos ac prima oculos inuitabat. Hoc è Fonte Pietatis Ornamenta omnia tùm linguæ tùm manus felicitèr emanantia per omnes Templi partes fundebantur; Absidam videlicet, Aulam, ac geminas Porticus, seù Naues, vt vocant, senis distinctas arcubus, columnis marmoreis decem insistentibus. Quæ eo, qui se se facilè offert ordine, hic placet recensere.

In summo Altaris apice Zona volitans eminebat, vtrinque Angelorum manibus commendata, qua huiusmodi inscripta Prographe, seu totius operis conspiciebatur

*Zachar.3.1.* Argumentum.
IN DIE ILLA ERIT FONS PATENS
DOMVI DAVID, ET HABITANTIBVS HIERVSALEM.

Consonabant hinc indè, in tabulis exarata suis, similia ex sacris libris Oracula, quædam etiam Diuini Spiritus fistulis Sanctorum Doctorum verbis expressa; A dextra quidem parte Absidæ, editiori in loco.

*Cant 4.15.* FONS HORTORVM.
FONS HORTORVM MARIA EST,
CVI GRATIA VIRGINITATIS IN CARNE,
*D. Bernard. Serm. 6. de Annunc. c. 2.* ABVNDANTIA VIRTVTVM IN MENTE,
PRÆSENTIA FILII DEI IN VENTRE.

A leua verò: Cant. 4. 12.

FONS SIGNATVS.
FONS SIGNATVS TOTIVS SIGILLO
TRINITATIS,
EX QVO VITÆ FONS MANAT,
IN CVIVS LVMINE VIDEBIMVS
LVMEN.

D. Sophronius Hom. de Assumpt.

Excurrebant alia per summos Aulæ Parietes, quà dies fenestris infunditur, è diuinis voluminibus desumpta præsagia, Virginei FONTIS nouitatem, beneficentiam, Nomen, perennitatem, cæterasque dotes, demonstrantia.

Esth. 11. 10. *FONS paruus creuit in fluuiũ maximũ & in aquas plurimas redundauit.*
Ps. 17. 16. *Apparuerunt FONTES aquarum.*
Ioel. 1. 20. *Fons de Domo Domini egredietur, & irrigabit torrentẽ spinarum.*
Isa. 58 11. *Fons aquarum cuius non deficient Aquæ.*
Ps. 67. 27. *In Ecclesijs benedicite Deo Domino de Fontibus Israel.*
Apoc. 21. 6. *Ego sitienti dabo de Fonte vitæ, gratis.*
Num. 20. 6. *Domine Deus audi clamorem huius populi, aperies thesaurum tuum, Fontem aquæ viuæ.*
Iudith. 5. 15. *Fontes amari obdulcati sunt.*

CLaudebant Absidæ geminam frontem Legiferi Moysis & M. Agrippæ Icones procera, elegantique forma pictæ, vtraque pila dependentes, aliorum Heroum, Heroidumq; simulachris præeuntes, qui occasione aliqua Fontes patefecisse narrantur Horum à PATENTE nobis hac die, Fonte, discrimen; subiectis hic eorundem pedibus substratis Elogijs, ità liceat deprehendere.

I. STATVA. MOYSES. Exhibebat in basi hoc

Exo. 14. 22. Num. 20.

ELOGIVM.

*MOYSES,*

*LEnis Dei Legifer, nè durus Naturæ Legifragus videretur;*
*Cùm aquas durasset in marmor; Petras conuertit in Fontem;*
*Aptum Populo duri cordis potum.*
*Vt emollescere disceret vel à lapide ad lapideæ legis obsequium.*
*Quam fluxam & silex docuit factus aqua.*
*MARIA Gratiæ legi Parens ac parens,*
*Plusquam lapideam genitorum sterilitatem*
*Mirum soluit in Fontem (quid nì, Filia lacrymarum?)*
*Vndè nouo miraculo Lapis Angularis emanabit,*
*Christus, qui manet in æternum,*

(Vt

*(Vt vndam hanc ſcias tantundem duraturam).*
*Qui auferens à nobis lapideum, dabit cor carneum.*
*Sic aquas Cõtradictionis precellit Fõs Obediẽtiæ.* Fráciſc. Orſolinus

## II. STATVA HYPSIPYLE.

Ad quam id ſpectabat *ab Angue occiſum repe rijt, Fontẽ Langiã oſtendens Argiuis P. Statius latè 5. Theb.*

E L O G I V M.

*Patrem à Lemniadum coniuratione ſeruauit. Archemorum alumnũ*

*H Y P S I P H Y L E,*

*Ety. Gr.* *VErè Alti amans, quæ charum Genitorem Alto fidit,*
*Male fido elemento eludens perfidas fæminas.*
*Vt hinc ſcias nec procella æquoris æquari earum rabiem,*
*Contra quam Portus Charybdes, hiems ſerenum eſt.*
*Patrem (proh ſtupor!) vi teneat, fugat; ne perdat, amittit;*
*Cui ſexum prodendo prodeſt; obſequitur inobſequens.*
*Ah quanto meliùs ſeruat parendo Parentem poſtliminio reductum;*
*Altiſſimi amans; amor; Deiparæ demiſſio,*
*Quam S. Spiritus Virtus obumbrauit,*
*Vt ſcias in hac cœleſti Virgine conquieuiſſe*
*Excitatam per mulierem Tempeſtatem terrarum;*
*Vt noris hanc Orbi exiſtere Protectionis vmbraculum.*
*Nimirùm mortem vni contulit Hypſiphyle; Maria Vitam omnibus;*
*Quid enim non euincat obedientia; quę vicit & Deum?*
*Regia vtraque Ancilla fontes ad FONTES ducit,*
*Sed Latentes illa, hæc patentes;*
*Militantium illa cætus; iſta Eccleſiam.*
*A ſerpente, cui caput Virgo contriuit,*
*Etymon Græ.* *Redempti hìc, non perempti Alumni.*
*Stat 6. Thebai.* *Nempè non primitias lachrymarum & cædis Archemorũ*
*Sed Æuæ fletus abſterſura, Gaudium vitamque portauit, Deum.*
Io. Nicolaus Barlanti.

## III. STATVA. SAMSON.

Cui huiuſmodi ſuberat in Columna

E L O G I V M.

*S A M S O N*

*Iud. 15. 19.* *NVm ob Aſini Fontem æquande Mariæ?*
*Licèt eadem Maxillà vnda ac fluore fluenta*
*Hoſtem extinguas & ſitim, riges palmas, bibas triumphos?*

 Heu!

*Heu! limine amico admissus, amittas hostilius vt lumen;*
*Perque ignaua somnia, omnia vigilia trophaa;*
*Vna extirpande tonsurà, victrici coma vinciende!*
*Si te corrupta superat, quanto magis VIRGO?*
*Hac sitientibus situla est, & contra hostes hostimentum.*
*Hoc Fonte Infernus mergitur, emergit homo;*
Isa.9.6. Cant.4.9. *Quid ni? vbi Deus homo; Fortis, ac Princeps Pacis?*
*Huius vno oculo ac crine capitur Deus;*
*En! Quò Libido proteritur, Castitas triumphat.*
*Tu Mors futurus monstrorum, prodigio nasceris è sterili:*
*Vitalis fetus effata Matris Maria;*
*Quam benè miraculo parta, qua etiam paritura!*
*Nazaraus existis? Hac ille Nazaraus extat, sine quo nemo.*
*Liberare Israel caperis à Philisteorum seruitute,*
*Hac vel Ancilla Vniuersum à peccati iugo liberauit.*

Cæsar Guinigi.

## IV. STATVA MARTIVS. Hoc sub se habens

*A quò Aqua MARTIA. Plin. l. 31. c. 2. cuius hic ferè verba.*

### E L O G I V M.

### *M A R T I V S.*

*Cognominē aquam intrà Praetura tempus opus aeternum (ducat.*
*Cuius vel Opifex aeternus & vnius diei,*
*Martia an non aqua MARIA?*
*Cuius & Martio Mense Fons patet,*
*Negotium licet omnium saculorum.*
*Nimirùm oportebat citò perfici totius perfectionis Auctorem*
*Vno concipiens in VERBO, vno profusura in partu.*
*Tardè nè procederent Spiritus Sancti molimina?*
*FIAT edicens, facta FONS est;*
*Vt noris illo quęcunque Deus creauit recreanda.*
*Non hec à nono lapide arcubus adducta Deum munere,*
*Sed Orbi nono mense nata, ac nonnimestri gyro*
*Petram adductura Christum & munus Deum.*
*An non Clarissima Aquarum in toto Orbe omnium Mariana,*
*Que lux Mundi est, Cœlique editura claritatem?*

Alessander Victo: Fatinelli.

## V. STATVA AVGVSTVS. Ad quem sequens pertinebat

*A quo Augusta Aqua, de qua P.*

### ELOGIVM.

*Pictor. in vrb. Region. cuius ferè hic verba.*

### *AVGVSTVS,*

*MVndi pacator; Religator ac Relegator Armorum,*
*Quod lubricum nomen suum aquæ indidit prætereunti,*
*Nè bellum Marianæ ciat, quæ vsque ad futurū sæculum non desinet.*
*Quantò hæc Augustior, quæ quem Cæli capere non poterant*
*Gremio contulit suo, superum Augustum?*
*A Pacis æternæ Rege aduecta, imò & Pacis Principem vehens.*
*Non hæc nullius Gratiæ, sed omnis,*
*Cui tota se infudit Gratiæ plenitudo.*
*Nec parum salubris, sed totius origo salutis.*
*Nam Mundo Sæculorum edidit Saluatorem.*
*Neque in vsus populi nusquàm, sed vbique fluens.*
*Cui enim non profuit Virgo, Adiutorium vel Dei?*
*Non hortos olerum rigans, sed Virtutum Paradisum.*
*Quam benè! sic Campi florem, Liliumque conuallium dabit.*

Nicolaus Franceschi.

## VI. STATVA. AGAR. Infra pedes tale offerebat.

*Bis hæc ad Fontē perducta Gen. 16. & 21. Abram idest Pater excelsus.*

### ELOGIVM.

*Ismael idest Dei auditio Etymol. Bibl.*

### *AGAR.*

*ANcilla quamuis Abrahæ, ac Genitrix Ismaelis*
*Ne Virginem lacessat, Excelsi Patris Ancillam,*
*Quæ (Verbi sic Matrem decet) Diuino concepit auditu,*
*Inuenta in vtero habens quem habebat in votis,*
*Facta Parens, quia Filiam se se gessit Obedientia.*
Gen. 16. 4. *Illa concepisse se videns, despexit Dominam suam:*
*Ista magnificat Dominum, qui eius humilitatem respexit.*
*Illa ob superbiam suam ab Herili domo profuga,*
*Tumidam Ceruicem vbi inclinare noluit,*
*Nec, vbi reclinare posset, inuenit:*
*Virgo demissione sua profugos reuexit ad Cælos.*
*Adeò, quòd non se efferret, elata; vt vel Deum demitteret.*
*Illi Fontem abditum, inuium,*
*In via quæ ducit Ægyptum, interque Eremi spinas,*

Genes. 21. *Ad vnius sitim leuandam Angelus nuntiauit:*
*Huic Nuncius Archangelus, in Florum Ciuitate,*
*Quò Fons aeternum Conclusus fieret siti omnium Patens;*
*Quibus è Cælo iter, aut in Cælum.* Coriolanus Orsucci.

Hæc, vt precedentes duæ, Odæo super insistente intercepta est, at inferius huiusmodi conspiciebatur

## VII. STATVA. CLAVDIVS.

A quo Claudia, de qua Plin. loc. cit.

### ELOGIVM.

*CLAVDIVS*
*Terrarum Portentum,*
*Prodigiosus & in aqua profundenda profusor habeatur.*
*HS. termillies cognomine Vena Vrbe aucta.*
*Orbem adauxit Maria, tam grandi Fonte quam Nomine,*
*Non Monte disrupto, sed Cælo;*
*Quò perennis influat; imò influat æternitatem.*
*Non Romæ tantum Iugis, sed Mundo iugis vniuerso.*
*Quanti hic pretij sit an nō patēs? in quo absconditi sunt ōes thesauri?*
*Hic pro lacu Caruleo & Curtio Cælestis illapsa Immensitas,*
*Vis ductuum excelsitatem? adduxit vel excelsum Deum.*
*Quam sit suauis hinc conijce,*
*Paradisi Ambrosiam auersatus, hic se demersit dulcedinis Deus.*

Carolus Prouenzali.

Eidem verò subiectum subtexebatur

## VIII. STATVA. REBECCA.

Ad Fontē Spō sa designata, vt Genes. c. 24. refertur.

### ELOGIVM.

*REBECCA.*
*Thori sibi faces herilis, oblatis famulo aquis accendit;*
*At Ancilla humilitate se obnubens Maria, Regi nubit Altissimo.*
*Nàm cur non Sponsa, quæ Fons est,*
*Vnde Ignis Consumens Deus, ac Vitæ erūpit Aqua, elementa Nuptiarum?*
*Imò Fons vnà patens ac Parens,*
*Non bella vtero referens, sed pacem.*
*Non ficti vultus hominem*
*Terrenæ hereditatis & Benedictionis ablatorem,*
*Sed Cælestis latorem verum Hominem Deum.*
Gen. 24. 65. *Operiat iam vultus suos Rebecca, à Virgine victa;*
*Despondetur hęc, non Isaac, idest Risui morituro;*
*Sed æternæ lætitiæ largitori.*

*Non*

*Non fratris supplantatorem, sed Mundi columen Numen paritura,*
*Cuius dextera Terrarum Orbem*
*Præparauit super Maria; reparauit in MARIA.* Carolus Mansi.

## IX. STATVA IACOB. Cui tale subtexebatur.

Huius in Samaria Fons. ELOGIVM. Io: 4 Genes: 33. & 48.

*IACOB.*

*IN prædio Fons claudicantis, Hortorum Fonti cedat MARIÆ*
*Vt aqua Claudia Virgini.*
*Tantum hic illo maior, quantum Patre Iacob Christus.*
*Ex illo qui biberit sitiet iterum,*
*Hanc qui gustauerit non sitiet in æternum.*
*Nam fæcunda vbique, quia nullibi fæculenta,*
*Huius vel vna stilla fiet in eo Fons aquæ salientis in vitam æternam.*
*Inter cadauera cadens centum ille Agnis steterit;*
*Hæc vno, quo vel Mundus, Vitæ perennis origo.*
*Non brutis fluens, sed homini obrutescenti Verbum influens Deum.*
*Illic sitim aquæ simulans, vt potum indulgeat Gratiæ,*
*Fatigabitur Christus Samaritanæ peccatricis alloquio,*
*Hic requiem quæsiuit & inuenit,*
*Quid mirum, si Gratiam inuenit Maria?*
*Adeò mens pura serena est & cùm in sermone turbatur.*
Fidericus Dominicus Lucchesini.

## X. STATVA. ESTHER. Cuius istud

Specie Fontis ostensa Esth. 11. ELOGIVM.

*ESTHER.*

*ET in ea Fons visus in somnis, verè somnium videatur,*
*Verè paruus, collatus Magnæ Matri,*
Etymol. Bibl. *Cuius Fons non Esthereæ est, idest occultæ,*
*Sed omnium ori, oculis Patens,*
*In Ierusalem, hoc est visione perfecta.*
*Per vmbrā illa se vertat in lucē licet solemq; Persis adorantib⁹ Solem.*
*Quid eius iubar omne, nisi vmbra, collatum Mariæ?* D. Greg. Neocæs. or. 1. de Annun.
*Quæ Fons Lucis omnem hominem illuminantis;*
*Electa vt Sol est Solem paritura Iustitiæ.*

Ne

Esth.11. *Nè maximum creuisse in fluuium sibi videatur*
*Fons Mariæ Mare est, quod terras omnes eluit, dum alluit.*
*Quā fordis vmbrā in Maria fingas? cuius & ūbra sordes abstergit?*
*Quam Noxam serpentis Stygij, huic vndę innoxij?*
*An Adæ culpæ obnoxius Fons qui nec Anguibus?*
*Siquidem illorum hic virus, non viros perdit, sed vires.*

Cæsar Rapondi. Hic ordinem claustebat hoc exibens-

## XI. STATVA. AGRIPPA.

Virginem Aquā adduxit, de qua Alin loc. cit. &c.

### ELOGIVM.

*AGRIPPA,*

*SVetus in Maris certamine vincere,*
*Vincere sì certes cum Maria.*
*Tù læuum cornu regens dexrè deieceris Antonios;*
*Multaque Classe Magni Pompeij F. Sextos fuderis:*
*Ibi prædatus natos; vbi Pater prædatores.*
*Vna Iustitoris nauis facta Deipara,*
*Totum Cœlum depopulatur ac Numinis O. M. sinum;*
*Secum ad pompam triumphi vehens campi Florem.*
*Quanta huius gloria, virtus, cui spolium Deus?*
*Cui tam impar in Mari es; æquiparabere Fonte?*
*Virginem attulisse aquam Romæ nè primum te iactes;*
*Diuinus in hac Amor, Virginitatis Orbi tulit vel votum,*
*Qui totum nos habere voluit per Mariam.*
*At non Aqua hæc Virgo; nullā vnquam sorde polluta;*
*Nunquam terrena commixtione violata?*
*An non hæc salus publica; quę totius Mundi?*
*Non Prænestina, hoc est terrenæ Fortunę via, ducta,*
*Sed supernæ felicitatis ductrix.*
*I nunc; Pantheon extrue, nulli Deo, quia omnibus;*
*Hac omne excepit Numen, quia Vnum.*

Io: Laurentius Frediani.

Has interstatuas ijsdem ab Aulę Parietibus dependebat series altera superior Elogiorum, in quibus cum celebrioribus terrarum Fontibus, Fons DEIPARÆ componebantur hoc ordine.

*Examphaeus Fōs Hypanim fl. ità amarū facit: Euxinos i. bene hospitalis. Etym. Graec.*

# I. FONS.

*vt ex eo nulli bibat animal. Gaud. Merula mirabil. l. 3. c. 4.*

## EXAMPHÆVS

*Amplo Nomine ne placeat sibi,*
*Fonticulus magnum Hypanim*
*Inhospitalem esse cogens, vel ad Euxinum;*
*Dum illum amaritie reddit vel brutis inamabilem.*
*Fons, Maria dè Nomine amaram Myrrham ferens,*
*Diuinum Paradisi deliciarum Fluuium Pęnis subijciens humanis,*
*Fecit amarum, sed fecit amari.* Regulus Martinelli.

*D. Bonau. alijq; de Mariæ Nom. Etymo.*

*In Eleutero Laconiæ propter ruinas Cyphantum Vrbis fons saliens è silice,*

# II. FONS.

*cuspide elicitus fertur ab Atalanta è venatione sui laborante. Pausan. in Laconi.*

*Atalantæ licet vena Venatricis velocissimæ*
*Velis æqualem nè moneo te, Marianę;*
*Quæ nèc primam similem vidit, nèc sequentem;*
*Quæ Deum fixit vel crine prehendit vel in Olympo.*
*Incussa te hasta excussit, hanc Iesse Virga tulit:*
*Nè vllum ab hac bellum timeas, qua nostra pax floret.*
*Tu fluis sed Mortalibus ad vnius Vrbis ruinas;*
*Hæc ad omnem Orbis salutem in vitam æternam salit.*
*Iactes perditam pomi iactu: Hac Mali nos seruat à malis.*
Ferrans Corù.

*In Apulia finitimo Castro cui Roseti nomen, Fontem suauem ac potabilem,*

# III. FONS.

*æstate largiùs fluere, hieme inarescere, tradit Maiolus Dierum Can. colloq. 13.*

## ROSETI FILIAS VNDAS

*Potu suaues fore vel nomen est Omen.*
*Hyeme vndosa arescere, arenti æstate exundare*
*Stupet Apulia siticulosa.*
*Adeò nèc spina carent Rosæ vel immigrantes in aquas.*
*Mariæ fons vnà ac mare omnes implet, nulli depletur,*
*Iurè indeficiens, quem sitis mundi fecit, quo defecit.*
*Cessaret Orbis, si fons hic; vti sole ablato dies.*
*Vbi enim si Mariam tollas, Misericordia Dei?*
*Hìc è Hierico Plantatio rosæ est;*
*Vt fontem non ambigas esse gratiarum.* Carolus
*Sed vernos redolere dies non mirum, nimirùm è Nazara.* Conti.

Fons ad Nonacrim omnibus exitiosus ob nimiam frigiditatem, &c.

# IV. FONS.

## STYX ARCADIÆ.

Plin. & ex eo Merula, &c.

APagè Nonacrij Iouis impura spectatrix,
Virginitatem exuentis cùm indueret vel Dianã.
Hic mitis non acris Tonans, verè in homine Numen,
Sine face facit Virginem fœtam, nèc fœdam.
Styx ferrum rodit? hìc Pax redit,
Solida frangit? fracta hìc solidat.
Gelu necat? hìc potu, fotu Vita est.
Ferant illum Arcades; feret hic Astris, Lunaque priorem.
Stygem falli iuratam nefas, Inuiolabilior MARIA:
Cui quæ semel iurauit Deus, nunquàm eiurauit.

Octauius de Nobilibus.

Fons ad Lernam fabulosus &c. cuius meminit & Pausa.

# V. FONS.

ab Amymone Danaide tridente Neptumni elicitus. Etymol. græcè

AMYMONE quì audias, idest inculpata,
Nomen habens à Danai filia Viricida;
Quæ rogos face facit de prima supremos?
Generis humani seruatrix Virgo verè Amymone,
Quæ sola sine culpa est, integra & cum grauidata.
Te tridens Neptumni aperit;
Hac sceptro Dauidis orta Fons patens hodie fit Deo,
Qui fertur super aquas.

Ioseph Sardi.

Helenæ Fons ac Balnea in Isthmo Corinthiaco.

# VI. FONS.

## HELENÆ,

è regione Cenchrai promon. Pausa. in Corinth.

TErrarum facis, vndam caue flammis nata Corinthe,
Vel bimaris ignescit; tantum ex incendio Asiæ concepit ardorem,
Vt vel in vndis hoc nomen efferueat.
Ardens, nec comburens MARIANA vnda in terris
Cœlestem emittet ignem, Mundi refrigerium.
Illa nè Gratiarum Alumna fingitur,
Quæ belli furiarum fuit Altrix?
Virginis hoc decus Annæ filiæ, Gratià plenę,
Per quam, in terra pax erit hominibus.
Claudatur illa Isthmi angustijs;
Hæc Augustè patens, quia Cœli claudit immensitatem.

Virginius Prouenzali.

VII.

*ons in Agro Actico nouem habens fistulas, gracè Ennacrunos,*

## VII. FONS.

### CALLIRHOE.

*Callirhoes Nominis*

*dictus est, celebratus Pausania. Stat. Theb. 12.*

*FLuxa gloria ac decor, defluit dum fluit.*
*MARIÆ FONS, vt nomen, stillans stellat, emicans micat.*
*Cuius decor omnis ab intus, Gloriæ Regem tegens sinu.*
*Sacrificus, Nuptialis, ille nouem tubis riget Vrbem Noctuarum.*
*Hic Deum in diem profert inter nouem Angelorum tubas,*
*Nouorum auspex sacrorum, Virginei Paranymphus thori.*

Ioseph Baroni.

*Infortunatis Insulis duo Fõtes sunt, vno qui biberit risu soluitur in mortẽ; ità affectis remedium est, ex altero bibere. Maiolus Dier. Canic. coll. 13.*

## VIII. FONS.

*FOrtunatis in insulis viden infortunia fontium*
*Heracliti vel Democriti sunt, ita risũ mouẽt vel amouẽt,*
*Faciuntque potu impotes, Lympha lymphatos.*
*Pro sanis aquis insania manant ac mania;*
*Seu per eos stultè vel Sardonicè abũdet in ore cachinnus;*
*Vel ablata cum vi ridendi ratione,*
*Alogum de risibili creent derisibilem.*
*Quid his cum Fonte sapientiæ ac Verbi Mariæ?*

Matthęus Grandi.

*Non lõgè ab Halicarnasso fluit muliebri mollitudine bibentes viros afficiens.*

## IX. FONS.

### SALMACIS

*Gaud. Merul. l.3. c.4 Fons apud Mythologos Fabulosus. Stat. l.1. syl.5.*

*DOlose Fons, procùl hinc absiste profana,*
*In sacro Mariæ sinu fidelis latex, ecce, latet,*
*In quo dolus non est.*
*Tu sedè complexa Deos, homines mollis effæminas.*
*Hæc à Gabriele salutata, Dei scilicet fortitudine,*
*Tota pulchra, sine macula, virum circundat absque viro.*
*In Caria manas? absiste; nulla manet Virginem caries:*

Ioseph Crescini.

*In Cantabria Tamarici Fõtes tres sunt, in vnum Alueũ coeunt. singulis siccantur duodecies diebus,*

## X. FONS.

*cum sit vicinus illis Fons sine intermissione largus. Dirum est nõ profluere eos aspicere volentibus Plin. lib. 31. c. 2.*

*TAmaraci Mariano inuideant Fonti,*
*Illos occidens extollit, tres in vnum coeuntes;*
*Hunc Oriens ex alto, tres vnus, ter vnus;*
*Illi singuli singulis rorant & arent horis,*
*Dirumque omen non fluere iugi fonte vicino:*
*Hic semper hauritur, nunquam exhauritur.*
*Vaqueis claudetur patens.* Petrus Ludouicus Donnini.

*Nõ procul ab Euripidis tumulo duo simul confluũt. Fontes,*

# XI. FONS.

## EVRIPIDIS VNDÆ,

*quorum vnus saluberimi haustus, lethalis alter. Gaud. Merula l. 3. c. 4.*

*CAsti Mulierum osoris, cedite castitatis Fonti*
*MARIÆ, delicijs hominum, DEI amori.*
*Quid vobis è tumulis emanantibus cum thalamis Virginis?*
*Mortuorum aquis cum Vena Vitæ?*
*Multiuerso cum vniuersi Poeta?*
*Tragicum vobis, nempè ab Hirco; huic ab Agno nomen.*
*Hinc Virtus, quæ sanat omnes; vestrum fons vnus, alter insons;*
*Hinc quantum prodestis, obestis.* Leonardus Ghiuizzani.

*In Bernensiũ ditione, vbi Engstilia Alpes occurunt, profluit fons vberrimus bis in die, quando pecora adaquantur:*

# XII. FONS.

## ENGSTILI NIVE FLVENS.

*ijsque refectis sensim euanescit sordes ita abhorret, ut nisi expurgatis nõn fluat Stump. lib. 7. Heluetiæ.*

*QVi sordes non fert, cur æstum?*
*Iunio natus, denatus Augusto?*
*Quam breuis Fons, qui vix vnius temporis!*
*Imo diei, vespere ac manè manans.*
*Verè te filium niuis agnoscimus,*
*Vix gregibus in potum oreris, & epotis moreris.*
*Augustior vel Septembri; Marianus, sine labe donans,*
*Sole inter Taurum & Virginem constituto,*
*Temporis plenitudinem.*
*Quid mirum! si eius vnda manet in æternum?*

Io. Baptista
Santini.

*Hanc mythologi tradunt ex Nympha in Fontẽ versam in raptu Proserpinæ &c*

# XIII. FONS.

## CYANES,

*Idest Marinæ*

*Plutarchus facit Siculã, seq; ac Patrem mactasse ad Patria pestem sedandam.*

*MAriæ accedit nomen, omen prorsus abscedit.*
*Virginitas ibi vi perit; Hic illæsa parit, dũ paret.*
*Ibi mæsta inferorum Dæmon, hic læta Superũ Deus cõnubia celebrat.*
*A patria pestem abigat Patris illa peremptrix ac sui:*
*Orbem, Redemptrix omnium, à scelerum hæc eluit lue.*
Nicolaus Dinelli.

*Apud Larium lacum fons vberrimus, aspectu planè sacer, qui ad singulas horas & intumescit,*

# XIV. FONS.

## PLINIANE FONS,

*& deficit; Plinianõ fonti nomen. Merula ibid. Maiolus loc cit.*

*FOrs appetis Dominium aquarum?*
*Qui tanquam fortunæ æmulus*
*Incostantia constas; dum crescis, decrescens*

*Stulte*

*Stulte, qui mutaris in horas, cui tumor innatat innatus,*
*Demissione Parthenius, Altitudinis Regnum, Regem, cepit, concepit.*
*Hic super omnia, à Numine elatus, à Nemine est visus elatus;*
*Tu sapè resides, huius beneficentia nunquàm.*

Philippus Antonius Conti.

*In Villa quã vocabat M. Cicero Academiam, eruperunt Fontes calidi,*

XV. FONS.

*ACADEMIÆ FILII*

*Per quàm salubres oculis, celebrati carmine Laurea Tullij. Plin. lib. 31 c. 2.*

*HVmani Eloquij parentis Tullij Fontes,*
*Oculorum valetudo, valete.*
*Verbi Parens Diuini, lucida Sapientiæ sedes*
*Sedentium in tenebris oculos aperit, dùm Fontem.*
*Hic Mundi columen, & lumen, si quem perspicuus tinget,*
*Perspicax omnia attinget, videbit vel Inuisibilem.*
*An non Aquam hanc beatam dices, qua Deum cernes?*

Franciscus Guazzelli.

*Æthiopes Macrobij bibunt ex Fonte, quo loti violam olent: in ea aqua*

XVI. FONS.

*MACROBIORVM*

*nè lignũ quidèm aut paleam innatare potest, ex qua fiunt longaui. Herod: l. 3. &c.*

*VItam diù quì sustetet, qui nè paleam quidẽ?*
*Nineas olere violas putes*
*Qui putentium picẽ quotidie Æthiopũ luit, nũquàm eluit?*
*Vitam, & suauitatis odorem Virginis vnda profert,*
*Cuius, dùm Rex in Accubitu est, nardus olet.*
*Qua tempori addens Æternum, mortalibus Immortalem,*
*Vno omnia portat in Verbo.*

Io: Barsi.

Elogijs interserta iucundũ intuentibus præbebant spectaculum elegantissima Symbola, seu vt vulgus appellat (Imprese), quibus Virginei Fontis proprietates, ac Dotes efformabantur hoc pacto.

I. SYMBOLVM. Puritas Virginei Fontis.

Fons pellucidus ore munito gemmatæ Clauis vertigine, patens, ac iugis sub rupe inumbrata à Malo Arbore, è qua decidui rami circumsalientes de terra Fontes perturbant, cum dicto: NEC LAPSVS.

*Ouid. Met. 3. Fons erat &c. Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus.*

*Dum Pater excelsos vetita arbore sperat honores,*
*Cum sobole (heu!) lapsu stirpitus inficitur.*
*Labor ego immunis communis labis; an intrà*
Signatum Fontem *ligna maligna cadant?*

Nicolaus Lucchesini.



II. SYM-

II. SYMBOLVM. Vtilitas Virginei Fontis.

*Hor. l. 1. Epist. 16. Fons &c. Infirmo capiti fluit vtilis, vtilis aluo.*

Fons Medicus ad Balnearum vsum, cuius aquis Adam toto corpore perfunditur, cum Lemmate: INFIRMO CAPITI.

*Luxerat Eois Genitor, quod fluxerat Hortis,*
*Sed lacrymæ haud labes lapsi abolere valent.*
*Fons oritur Virgo, hæc nostræ sit Origo salutis;*
*Hinc caput humanum, membraque cuncta valent.*

Fridericus Ottolini.

III. SYMBOLVM. Diuturnitas. Virg. Fontis.

*Lucr. l. 6. n. 928. nec mora nec requies inter datur vlla fluendi.*

Fons perennis varios ad vsus, omnibus expositus, cum hemistichio: NEC MORA, NEC REQVIES.

*Vnus ĩo modus est, Mariæ pia dona ferenti,*
*(Qui mos iugis aquæ) non habuisse modum.*

Petrus Santini.

IV. SYMBOLVM. Virginitas. Virg. Fon.

*Hor l. 3. od. 10. O Fons Blandusiæ Splendidior vitro.*

Fons in Chrystallinũ influens Labrũ, cum Epigraphe. SPLENDIDIOR.

*Tantum hominum fictas referunt Chrystalla figuras;*
*Splendidior, verum quæ tulit, vnda, Deum.*

Io: Vincentius Lucchesini.

V. SYMBOLVM. Affluentia.

*Deriuentur Fontes tui foras & in plateis aquas tuas diuide. Prou. 5.*

Fons elegantissimus Plateam, quã medius exurgit, infundens, ac superefflueńs, cum dicto: FORAS, ET IN PLATEIS.

*Et procul, & propè Fons hic prodest: Virgo clientum*
*Eminùs vna comes, cominùs vna quies.*

Ioseph Saminiati.

VI. SYMBOLVM. Communitas.

*Gens. 1. Fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ.*

Fons Paradisum omnem, cuius è sinu erumpit, super spargens, cum Lemmate. VNIVERSAM.

*Vt viret hortus aquis, Ecclesia Virgine: Fonte*
*Emicat ex isto, quicquid in Orbe micat.*

Vincentius Cittadella.

VII. SYMBOLVM. Singularitas.

*Hinc Mundi patefactum totius vnum largiffuum Fontẽ scatere. Lucr. l. 5.*

Fons in Insula S. Helenæ vnicus Eoum mare nauigantibus occurrens, cum hemistichio. MVNDI PATEFACTVM TOTIVS VNVM.

*Te sinè ad extremos Nauta ægrè adducitur Indos;*
*Absque ope Virginea nullus at Astra subit.*
*Sola solo tua, sola salo fluat vnda; Mariæ*
*Æmula erit posthàc nulla, nec vlla prior.*

Paulinus Ottolini.

VIII.

## VIII. SYMBOLVM. Salubritas.

*Claud. de Nilo: Irrorat, populisque salus sitientibus errat.*

Fons quem Monoceros prætentatum animantibus offert, præfixo titulo:
SALVS SITIENTIBVS.

*Stagna petant alij cornu explorata ferino,*
*Virgo est certa salus, quam probat ipse Deus.*

Antonius Carminati.

Hæc flores inter, coronas, & vniuersi generis ornamenta per Aulam visebantur disposita; Naues autem multiplici, variaque pictura, tùm Epigrammata, tùm Symbola exhibebant. Priorum sub vnoquoque fornice, quà paries sensim immigrat in testudinem, talis erat ordo.

## I. SYMBOLVM. Fœcunditas. Virg. Font.

*Cùm languida cessant flumina.... mutato iure tumescit. Claudi. de Nilo.*

Langia æstiuo tempore arentibus circa fluuijs, largè fluens. Signata his verbis: CVM FLVMINA CESSANT.

*Seruat aquas Langia suas licet Amnibus haustis:*
*Te Mundo euerso Gratia, Virgo, replet.*

Bernardinus Martini.

## II. SYMBOLVM. Humilitas, & Gratia.

*Psalm. 103. Inter medium Montium pertransibunt aquæ.*

Fons in Valle Vberrimus, Alpibus circà exultis &c. cum Epigraphe.
INTER MEDIVM.

*Sublimes Montes, sublimes aspice mentes*
*Has sinè Gratiæ aquis, hos sinè gratia aquæ.*
*Demissos Deus attollit, tumidosque repellit;*
*Hinc Charis in parua Iesside tanta sedet.*

Benedictus Capparoni.

## III. SYMBOLVM. Potentia.

*Lucr. l. 5. Nonne vides etiam quàm latè paruus aquai prata riget Fōs &c.*

Paruulus Fons pratum latè patens circumcingens ac permeans, cum dicto.
QVAM LATE PARVVS.

*Ecce ait Ancillam, quæ iam regnabat Olympo:*
*Quàm breuibus se Fons contrahit iste vadis.*
*Mox rogat, vt iuxtà FIAT sibi Verba Tonantis:*
*Quàm latè exigui iàm patuere sinus!*

Franciscus Angelus Bartolini.

## IV. SYMBOLVM. Amplitudo.

*Claud. de Nilo: totumque per Orbē collecta partes vnum reuocentur in Amnem.*

Fons vnicus supra omnem terræ Globum cum inscriptione.
TOTVM COLLECTÆ PER ORBEM.

*Aspicis vt venis deducta latentibus Orbis*
*Flumina, vbiquè huius Fontis ab ore fluant?*
*Gratia Cœlicolum sic tota refulget in vnda*
*Virginea; breuis est, hæc fit vt ampla, Deus.*

Augustinus Capparoni.

## V. SYMBOLVM. Magnificentia.

*Et aeternum Martius humor opus. Proper: Ele: 4.*

Fons seù Aquæductus præcelsæ Molis Arcubus Cœlo nexum, cum dicto:

ÆTERNVM OPVS.

*Martia aqua è Cœno fluxo fluxisse perennis*
*Quì pote? ego è Cœlo non peritura liquor.*

Hiacynthus Duca.

## VI. SYMBOLVM. DIVINITAS.

*Est Aqua Mercurij &c. Si iuuat expertis credere, Numen habet. Fasto. 6. 11.*

Fons thure, ac sacris donatus, cùm lemmate. NVMEN HABET.

*Fontibus affingat Numen delira vetustas:*
*Diuina hæc Lympha est, quæ modò Nympha Dei est.*

Io: Laurentius Giannini.

## EPIGRAMMATA.

*Sequutia ferè ap. Plin. l. 31. c. 2. &c. Merulam. & Maiolum. T. V. H. &c.*

Post dysticha Pilis affixa p Tēpli parietes ferè p Pētades sic erāt distributa.

### FONS SVEVVS

*Mitis (si qua fides) terras perfundis Oliuo:*
*Cœlica Virgineo Balsama fonte fluunt.* Antonius Lenzi.

### Fons apud Germanos.

*Terno tu Sole, æterno sed Sole Maria*
*Feruet; humi nam tu defluis, illa Polo.* Hieronymus Cantoni.

### FONS ECBATANVS.

*Lux perit hausta tuo parcè de gurgite; Lumen*
*Totius Mundi, Virgo, perenne parit.* Ioseph Giuliani.

### Fons in Monte Soracte.

*Labitur ac feruet cùm Sol iubar exerit vndis,*
*Illum vt gustantes emoriantur Aues.*
*Solis at aduentu Diuino feruet amore*
*Fons Mariæ; epotis his homo viuit aquis.* Bernardinus Politi.

### Gelon & Clæon ad Celœnas

*Ridendis lacrymis, lacrymandis risibus hausti,*
*Heraclitos facitis, Democritosque viros.*
*Æterna est homini gaudendi hoc fonte voluptas;*
*Inde Dei fletus nam mala nostra tulit.*
*Flendi homini posthàc nulla hoc è Fōte voluntas;*
*Inde Dei risus nam bona cuncta tulit.* Bonauētura Biscotti.

### Fons apud Hispanos

*Illudis vanos visus, dum illudis inani*

*Auro squamigeros, sub vada cana greges.*

*Cui caput est aurum, manus est tornatilis auro,* Iulianus
*Verus homo, ac Deus his exorietur aquis.* Fabri.

Fontes in Beroso Colle.

*Absque dolore viros ad lethi funera fertis.* Petrus
*Hic latus vitæ munera quisque refert.* Mariani.

FONS ALYSSOS.

*Nomen habes rabidi dentem lenire molossi;*
*Virgo Cerbereis morsibus vna salus.* Bartholom. Conti.

Fons Zamæ.

*Iactaris voces hominum præstare canoras;*
*Vox cadit & canit hoc Fonte beata Dei.*
*Errabam. Tacet en hic vox Verbumque Tonantis;* Andreas
*Sed magis in toto, dum silet, Orbe sonat.* Anchiani.

Fons circà Zacynthum.

*Atratis in te se funerat alueus vndis;*
*In Maria è summo viuit in imanitor.*
*Pix inferna illic, hic Cœli lacteus humor;*
*Numinis hæc ara est, tu nigra Ditis hara.*
*Inde Ebenum fit Ebur, redit hic Olor atrior ales:*
*Nix cor erit fœdum hic; nox ibi, cana caro, est.*
Lommorus Lommori.

Fons Chius.

*Vnà oneras Mentem, ventremque, ac largior haustus;*
*Ingenium exhauris, sanaque corda quatis.*
*Iessiade æterni Sapientia Numinis vndat,*
*Hæc insana suis pectora sanat Aquis.* Gaspar Fondora.

Fontes ad Orchomenon.

*Alterutro immemorem memoremque effingitis haustu;*
*Hic mala dediscit, rectaque discit homo.*
Io: Antonius Forteguerra.

FONS RVBER.

*Ipse homini immanem facis hauste fluore furorem.* Blasius
*Virgineo, æternum, qui bibit amne, sapit.* Angueselli.

Fontes Sinuessani.

*Non sinit esse sinus steriles vestra vnda parentum;*

*Et ſana inſanis mens redit inde Viris.*
*Quàm Mariæ magè fæcunda eſt, facundaque lympha!* Ioſeph
*Hìc Sapientia ineſt Enthea, Virgo parit.* Conti.

Fons Æſculapij.

*Occidui Solis præfers tu nomine Natum,*
*At Solem æternum Virginis vnda fouet.*
*Merſa tuis lymphis alias deducis in oras,*
*Atque agis occultas intemeratæ vias.*
*Fons Mariæ æternum deportat ab æthere Numen,* Alexander
*Quod tegit, ac nitido detegit ipſa ſinu.* Sinibaldi.

Fons in Ponto.

*Ad Mare Apolloniæ grato fluis agmine; murmur*
*Gratius in Maria Dius Apollo ciet.*
*Creſcens æſtate, hyberno decreſcis in anno;* Franciſcus
*Parthenia æternas vena reſoluit aquas.* Cerù.

Fons in Eurymenis.

*Dicitur in lapides merſas mutare coronas,* Benedictus
*E Petra atque Petræ tu Diadema facis.* Natalini.

FONS LINVS.

*Fœminei in partu humano es tutela laboris;*
*Virgineum niſum, Fons fouet iſte, Deum.*
Michael Albertus Ruſtici.

Fons in Perpennis.

*Cuncta rigent quæcunque rigas; atque aſpera mollis,*
*Per te ſi humeſcat, mox lapideſcit humus.*
*Virgo animos reſides delinit, quos linit vndis;* Io: Baptiſta
*Flectitur inde ſolo durior are Polus.* Accoramboni.

Fons Iouis Ammonis.

*Sole riges radiante, cales cum mergitur vndis:*
*Virgo pudore rigens ſemper amore calet.*
*Te fædum ac ſterilem in medijs portendit arenis*
*Iuppiter, infamis qui tulit ora capri.*
*Sed Fons virgineus, quo non fæcundior alter,* Dominicus
*Aſtra petens Agnum traxit ab axe Deum.* Baccelli.

Fons Canathus.

*Inachidæ referunt (ſed mendax fama) nitorem*

*Te quondàm impuræ restituisse Deæ.*

*Fons Mariæ immundi tollit fera crimina Mundi;* Frigdianus
*Prosilit hac omnis Virginitatis honos.* Bini.

Fons in Insula Elephantina.

*Ipse tumente tumes Nilo, residente residis;* Franciscus
*Virgo humilis crescit se minuente Deo.* Ghilardi.

Fons Cilix.

*Alta petens vndis tu tela impulsa repellis;* Pasquinus
*Fons Mariæ, Astra petens, reppulit arma Dei.* Donini.

Fons Illyricus.

*Tu super expansas ferris comburere vestes;*
*Nudum hominem Charitum syrmate Virgo tegit.*
Hippolytus Politi.

FONS BRVNDVSII.

*Pontiuagis tu natura incorruptus haberis;* Nicolaus
*Hic almam astriuagis Gratia fundit aquam.* Giuliotti.

Fons Nili.

*Principij expertis genitor septemplicis Aluei,*
*Cedito Virgineis iàm pudibunde vadis.*
*Septifluum Numen Mariana emanat ab Aluo,* Michael
*Quod sine principio, quod sine fine manet.* Micheli.

Fons Halesinus.

*Exilit ad turbas, tranquilla silentibus vnda est,*
*Cumque fremente fremit, cumque tacente tacet.*
*Seruat inoffensam Iessæa modestia formam;*
*Lympha hæc componit cuncta tenore suo.*
*Nec Cæli plausus illam videre superbam;* Alexander
*Nec nimis abiectam tristia fata Soli.* Saminiati.

Fons Cyzicenus.

*Terreni gelido mersisse Cupidinis ignes*
*Amne, Propontiacis proderis ipse plagis.*
*Virgo Profanatis abstergit amoribus Orbem,* Petrus Paulus
*Mentibus Ætherens qua modo prodit Amor.* Stiaua.

Fons in Islandia.

*Quod simules lymphis cereuisia pocula, turges?* Ioseph
*Detume; Olympiaco nectare Virgo madet.* Giannini.

Fons

*Sapè manens manansque audis mirande, Maria* Gabriel
*Mira magè, hac manat tēpus in omne manens.* Angufelli.

Fons circa Thuriam.

*Tollere ad astra tuam cesset iam fama medelam,*
*Infantum quamuis vulnera dira leues.*
*Nam Mariæ nascetur aquis clarissimus Infans,* Vincentius
*Qui morbis Orbis fiet amica salus.* Fridericus Pauletti.

Fons Edenus.

*Tu Paradisiaca princeps fluis accola terræ;*
*Virgineis oritur sed Paradisus aquis.*
*Ligna rigas terræ, Virtutum germina Virgo;*
*Te Deus effudit, fundet at ista Deum.*
*Educat hæc fructum; fructum bona cuncta ferentem:* Ioannes
*Tu malum attuleras, sed sine fine malum.* Guinigi.

Fons apud Tenarum.

*Spectandas naues, spectandos gurgite Portus*
*Præbebas, rapuit fœmina prodigium.*
*Facta velut Nauis, statioque Marina Maria* Antonius
*Apparet, redeunt Virgine prodigia.* Antoni.

Salsula.

*Cum Maria certas? insulsa o Salsula! cunctis*
*Vtilis illa fuit, futilis ipsa fluis.* Adamus Barsotti.

FONS IN AGRO PHALISCORVM.

*Ossa in aquis animet ficti mentita Colubri;* Thomas
*His, Draco vere, iaces exanimate vadis.* Tognini.

Fontes Carinienses.

*Dissimili ingenio similes aduoluitis vndas,*
*Nanque immissa in aquis hic vomit, ille vorat.*
*Virgineus Fons lacte fluens, ac melle madescens,* Saluator
*En! probat omne bonum, reprobat omne malum.* Barsanti.

Fons Lycus apud Leontinos.

*Cede; Lupis dictus, surgens regione Leonum;*
*Post ternum referens, funera mœsta diem.*
*Maior Virgineum sustollit Gloria Fontem,*
*Quem Leo dat Iudæ, cui Deus Agnus erit.*

*Ipse*

*Ipse Lupi praedas rapiet de faucibus Orci,*
*Hinc Vitam terno lumine sumet homo.* Laurentius Cinacca.

Fons Lilantius.

*Vt sanes Hominum languentia corpora, ferri,*
*Atque aris lapsu, flaua metalla geris.*
*Fons Mariae est morbi exilium, commune medentum*
*Auxilium; non aera, aurea dona refert.* Ioannes Puliti.

Fons Paphlagoniae.

*Ebria, ceu musto fluat, in te exuberat vnda;*
*Vbera, at hic vino Fons meliora dabit.*

Iacobus Thomei.

FONS APVD INDOS.

*Extinctas animasse faces bonus: optima Virgo*
*Exanimes animos excitat igne Deo.* Franciscus Honesti.

Fons Aponus.

*Vrbi Antenoreae vitam largiris, at Orbi*
*Dona Marianus porrigit alma liquor.*
*Humore expellis tu noxia funera: Virgo*
*Admouet omne bonum, submouet omne malum.* Iacobus Giouannelli.

Fons Hierichuntinus.

*Qui morbos sterilemque famem, & mala cuncta ferebas,*
*Pernicies populis, & vaga pestis agris:*
*Mitis Elisęo factus sub Vate, benignos*
*Assumis mores, & bona cuncta refers.*
*Sed quid apud Mariam? Fons est Diuinus Olympi*
*Virgo; causa mali qua fit origo boni.* Andreas Butori.

Fons Caburae.

*Affluere omni vnus iucundè fingeris Orbe,*
*Quod perfusa Iouis Sponsa sit amne tuo.*
*Virgo Deo nubens verè halat vbique, profundens*
*Cui fusa aethereum balsama Nomen olet.*

Siluester Barsocchi.

Fontes Leucogęi.

*Este (damus) lęsis oculis, animisque salubres;*
*Virgo animi noctē & vulnera, sola leuat.* Ioseph Conti.

Grandioribus haec literis prostabant. Quae verò recitabantur inprimis erat:

FONS.

# FONS PATENS, DEIPARA:

## O R A T I O.

*EXue serenos mœrore vultus, votis iam tandem exhilarata cupitis, Adami ærumnosa propago. Deus ille, qui Fontes educit ab extremo terræ; quam tibi quondam Tartarei Draconis virus afflauit, siti restinguendæ optatissimum è Cœlo Fontem nunc elargitur Mariam. Vt salit exundans! vt nitet perspicuus! vt allicit salutaris tam beatæ venæ defluxus! vt niuei laticis gelu anhelo ardore laborantes inuitat! Et iagè quæsito satiare haustu, inexhausti Fontis aspergine. Patet Dauidicæ domui, terrarumque Orbi vniuerso. Cuius nectaream dulcedinem, nè faucibus diutiùs tuis acerbus auriùm interpellator inuideam; tecum oculis libens, tecum animo delibabo. Interim siquis vestrum, A A. tam mira ac vera narranti hæret adhùc anceps, ac dubius; ad amœnissimas ripas huiusce Fontis mecum tantispèr assideat; ac liquido peruidebit, non sinè arcano Numinis consilio; super aquas, ac mare Orbem iàm olim præparatum reparaturæ Mariæ, conflatum ab aquis nomen ac munus; cui seriò nobiscum post temporis plenitudinem adimplendo præluserat vel ludens coram illo antè secula, quando Fontes*
Prou. 8. *librabat aquarum, quando quibus legem ponebat, nec dùm Fontes eruperant aquarum. Enimuerò Tellus impia, diluuio quondam vindice è Cœlo demersa, vndè nam feliciùs emergeret, nisi Virginei Fontis scatebris expiata salutaribus, per quam salus Mundi credentibus apparuit?*
Gen. 1. *Qualem decentiùs Spiritus ille sacer superfunderet, qui nitoris in specimen sui ferebatur super aquas; nisi omnigenæ puritatis aquis exundantem?*
Psal. 147. *Cùm Spiritu Dei flante fluant aquæ; an non hæc ritu Fontis afflueret, quam tanti Numinis virtus superueniens totam afflauit?*
Psal. 71. *Nonnè Diuino Verbo velut aqua in homines effundendo, Fons debebatur humanus, Maria, quæ Iustum è nubibus depluum, & sicut stillicidia descendentem cœlesti exciperet sinu?*
2.Reg. 23. *Quam proauus Dauides optarat, cùm potum de Bethlehemiæ Cisternæ Fonte desideraret, quem mox intactum prorsùs ac virginem summo libandum Numini consecrauit? Quenàm illum ad*

*omnes*

*omnes terrarum fines irrorandos egressurum de Paradiso quasi flu-* Eccl.
*uium origo profunderet, nisi florulenta Nazarenæ Virginis scaturigo?* 24.
*Irrigaturum torrentem spinarum, quæ nisi Plantatio Rosæ; de Domo* Ioel.
*Domini erumpentem, quæ nisi Dei domus Maria mundo inferret?* 3.
*Cùm tot miraculis & Oraculis olim, supremum Numen, Fontium extulerit dignitatem, quid ni Oraculorum summam, miraculorum præstantissimum, Matrem suam, Fontis titulo ac munere decoraret? Et sanè si Fontem hunc lucis omnem hominem illuminantis, vt cum Gregorio dixerim, vel ab vmbris opus esset eruere: An non iam tota Deiparens in amplissimam Diuinitatis venam adulta coalesceret;* 3.Reg
*cuius Heliæ temporibus, vel paruula in nube vestigium pedis humani* 18.
*speciem præseferens, arente mundo irriguos exuberauit in imbres?*
*An non ab hostis inferni obsidione diuini aduentu Numinis mortali-* Iud.
*tati soluta nouos Maria latices reseraret, cuius in typo Iudith incisos* 7.
*ab Holoferne Fontes Bethuliæ asserta restituit? Potuerit planè Hester* Esth.
*Assuero Persarum Regi famula ac nupta in somnis videri Fons par-* 10.
*uus, qui creuit in fluuium maximum, & in lucem solemque conuer-* 11.
*sus in aquas plurimas redundauit; Ast ipsa cælorum Domina, dùm præpotenti Regum omnium Regi nubit, gratiarumque Oceanum sinu concipit, Iustitiæ mox in Solem proferendum, quisquam ne decus hoc ibit inficias? Profectò, Auditores, nemo audeat mortalium pulcherrimum Fontis titulum formosæ huic Virgini diffiteri, quandoquidem cælestis illam Sponsi vox dulcissima* signatum Fontem *indigetat; vatumque oraculis* Fons *hodiè* patens Domui Dauid & habitantibus Ierusalem *prædicatur. Signatus intimæ demissionis affectu; patens amplissimæ profusione charitatis: signatus Virginei flore pudoris; patens Diuinæ fructu fœcunditatis: signatus legũ vmbris; patens in lumine Euangelij: signatus hominibus, atque vni patens Deo; vt porta illa quondàm, quam futurorum interpres contemplabatur Ezechiel. Video irriguas, canorasque Spiritus Aetherei fistulas veteres Patres, Anastasios, Ephræmos, Anselmos, Gregorios, Damascenos, Amphilochios, Amedeos, Bonauenturas, Damianos, cæterosque omnes Doctores, tamquàm Ecclesiæ Altricis huiusce Fontis ad vbera vino dulciora circumfusos, dùm nectar inde exugunt beatissimum, plenis lætitiæ laudibus insonantes:* Salue Fons vitæ susceptor; Fons viuifici laticis pellucidissimus; Fons misericordiæ;

Fons

Fons gratiæ, & totius consolationis. Salue Fons immortalitatis, qui exhauriri non potes, vitæ fluuij perennis; Fons Fontis viui, Fons incorruptionis ac vitæ. Salue Fons aurifluus vitæ æternæ verũ nectar cœleste profundens. Fons inexhaustus aquæ viuentis; Fons ascendens de terra ad irrigandum Paradisum; Fons vberrimus totius sanctitatis. *Audio festiuissima præconiorum murmura, admurmurantium riparum sonitu repercussa, longè lateque terris euagata ad Cæli fines perrumpere. O quàm dulcis imago resultat, quàm blandus clamor assultat, quàm letus fauor, ac plausus per triplicis Ecclesię regna permeat, & effunditur! Sed quid hoc est, Auditores? Iam Fontis huius canori latices, hilares acclamantium concentus obruunt, & intercipiunt. Ecquisquã igitur, vel sacris conticescentibus Oraculis, garrulo ex Aquarum profluxu, patentem gratię venam silentij amantem Mariam* [illegible] *quamuis cum Siloe modo ipsius modestia ripas tacenti vado constringat, perque interualla se laxans, nunquam superaffluens, modo Ior ac Dans in morem de illibatæ Virginitatis Libano erumpens; creaturis omnibus beata aspergine perlustratis, sublime ad vsq; Creatoris Thronum, Splendori Gloriæ speculum factura sine macula extollatur; semper illimis animi puritas, assidueque manans copia gratiarum, translucidum ac cœlestem omninò Fontem Virginem profitetur. Si Patriam illius Florum Ciuitatem intueamur, eiusque conceptum Ioachimo ab Angelis (familiare enim Angelis Fontium se exhibuisse notores) in Horto prænunciatum, nonnè vel tùm Fons destinabatur Hortorum? Qui ortam*
Cant. 4. *ex semine Abraham contemplatur, Rebeccam velut alteram admiratur, vel nuptialia fœdera ad Fontes inituram, vel Fontis in speciem versam, iam desponsam. Quisquis per Septembres natam Idus, hoc est, post septẽ S. Spiritus imbres; quisquis ex sterilibus, nec nisi natura superata miraculis, editam gratulatur, iam tunc Mosaico Fonti æmulam gloriatur. Ille siquidèm è silice infęcunda prodijt, hic vbi frigida viscera pęnè obduruerant in marmor; Nimirùm par erat in Petram Christum desiturum Fontem ex obdurato difficultatum rigore profundi; nec nisi prodigioso puerperio; Prodigiorum maximi puerperam præparari. Postremò vel ipsum Mariæ nomen, vndiflui muneris liquidissimum quis non agnoscat Oraculum? Nihil enim aliud Maria, & sacris Eloquijs vadibus, nisi ex vadis alta collectio,*

ac Fon-

*ac Fontium, & aquarum congregatio. Agite igitur congregamini; quà occultis è terræ venis antè hoc telluris vniuersæ cor, quà supinis ex alto meatibus ante sublime altissimi Numinis mare, quà cauis nubibus, tenuique ex aere promanantes antè hunc Fontem S. Spiritus obumbratione præclarissimum; congregamini, quacunque artis industria, naturæ ingenio fortunæ arbitrio, venæ promicatis; seu decorum ad inuidiam ac dedecus vestrorum, seu magis ad Mariæ gloriam iam libeat. Quæcunque diuisa vos decent, coniuncta hanc decorant ab omni parte beatam; naturæ certamen & artis hæc Virgo est; imò gratiæ labor ingens ac Numinis præpotentis opus æternum. Nihil terrenę fæcis hausit Fons iste, qui totus è cœlo est; nihil marinæ amaritudinis habet Maria, quæ cuncta dulcedo est. Non vanas tumescit in auras, quæ demissione sua, vel Dei Spiritum in semet è cœlo demisit. Non fætidos inhalat afflatus, sed vnguentis optimis fragrans, florem vbique adspirat Nazarenum. Vos vel in ortu sordescitis, vel in exitu sordidamini; hęc sorde immunis ab omni vel in conceptu; hæc tota semper immaculata ac nitens. Quidnì, quæ lucis æternæ candorem* 1. Sap.
*ac Sapientiam, quæ in corpore peccatis subdito non habitat, habuit inquilinum? Age verò quàm infrà hunc iaceant Deiparæ Fontem, quibus ipsi collucetis, honores, qui nè dignam quidem illi vmbram explicatis? Non hunc Sueuię Fons Solisequa lacessat, qui ab Heliotropij floris vertigine fluxum mutuatus vndarum, Sole super Horizontem elato copiosus fluit, sub eo delitescente subsistit: perpetuò hic gratiarum fluenta largitur, nunquam enim Sol illi quem sinu abdit, absconditur: vnde quid mirum Salomonij gurgitis ad inuidiam, hyemare in ista latices Scirio exæstuante non modò alienis abstergendis maculis, sed virtutum quoque suarum odoribus propagandis? Nimirùm vnda flammas hìc temperat innoxias, sibique fidem seruantia: Quam benè sub æstu sensuum innocens, nec ignes sensit mensium. Quì minueretur aquis, quæ semper augebatur Charismatis? quomodo decresceret vnda, quæ semper crescebat sanctitate? An puri laticis detrimenta ferret, quæ nulla damna tulit puritatis? Temporum paritura Dominum leges tempori dictas nùm expectaret? Non illum Agamemnonius Fons pręcellat, qui dictamni opem ac Centaureę indutus salubritatem, sauciatis latus exundat ad Smyrnam. Hæc siquidèm salutis Auctrix quasi myrrha electa dedit*

*suaui-*

*suauitatis odorem: Hæc quasi balsamum vulnera humani generis ex Adami clade conserta fouit, absterſit, sanauit. Non illum prouocet Lusi Fons ingenijs acuendis epotus, etenim Sapientiæ Fons hic æternę Deique Scientiarum profundum, quos non doctrinæ latices profundat? quid non ab ista doctrinarum orbis accepit, per quam & verum Numen Alpha & Omega innotuit? Facessant Gratianopoleos vndæ caloris licet expertes interdùm se se in flammas accendentes. Marię Fons adeò ab illecebrarum feruore abhorruit, vt voluptatis fomitem ignorarit: Adeò cœlestis ignis fomentis æstuans, vt & diuinum Amorem flammarit. O rem planè mirabilē! vt algeat Charitatis hypocaustum, ardeat virginitatis fugidarium! hinc meritò audijt Richardo Fornax irrorata simul & accensa. Facessant aquæ Thespiarum, quas fœcunditatis honore extulit Græcia facunda. Quid Virgine hac felicius, quæ & fructus emittit nec Florē amittit* Gaudia matris habens cum virginitatis honore? *Quando igitur nō vacat omnes seorsim producere, cedite Diuino huic Fōti laudes ac decora famulatrices aquarum scaturigines; quæcunque olim vel à dijs nomen hausistis, vel vrbibus datis: Quæcunque humanis vsibus, mundi commodo promanatis. Nullum magis à Deo nomen, nullum magis orbi salutare, quàm Mariæ, è qua Nomen super omne Nomē emicabit. Perierat homo, nisi illum hęc vnda recreasset. Iamdudùm orbis in cineres consedisset; iam terræ machina resoluta difflueret, nisi harum Aquarum ceu quodam vinculo circumligata consisteret; nisi hęc vitiorum ęstus, sitimque cupiditatum sedasset. Absit audacia dicto A A. quod purpurei Saluatoris Fontes Vniuerso præstabunt, Nitidissima iam Virginis vnda prælibatum inchoatumque; vt vel hinc meritò audierit;* Fons propensionis Filij ergà genus humanum. *O Fons verè Fons, bonorum scilicet omnium Caput! Qui Iustis gratiam, Beatis gloriam indulges; qui bellatorib⁹ palmas, virtutū Stadia decurrentibus pręmia repręsentas; per quem lapsis venia, perditis salus, defunctis vita refunditur. Salue iterum iterumque aue plena Diuinitatis vena; Quònam te nomine appellem? Auguralem forsàn? Auguror ex te vniuersorum salutem propediem emanaturam. Hierapolitanus Syriæ Fons assimulare purpurā nè se iactet; Tu purpureis Martyrum turmis immaculati pudoris è Lilijs ostri Rosā aperies, primitiasque tàm beatæ Coronæ sinè cæde ac vulnere dedicabis? Tu ligustra addes Virginibus,*

*S. Meth. or. de Hypa.*

*quas*

*Virginibus, quas virtutum odore tuarum excitas post te trahes. Tu omnium Beatorum Choris largos gratiarum gloriæque influxus inſperges. O cælo terraque Fons perpetuum admirande, quiſnam te dignis laudũ præconijs extollat; quem nec ęquis vllus valet titulis nuncupare? An medicum te Fontem compellabimus? valete vndæ oblæſis membris ſalubres; hic Fons eſt vniuerſis morbis præſtans refrigerium imò vt cum Damaſceno dixerim,* Fons *eſt* vniuerſo orbi afferens medicinam. *An te mirabilem prædicemus? Ecquis nam te mirabilior, quæ limum Deo iugis, quò ipſa fluas illimior; quæ repueraſcere cogis dierum antiquum, quò nunquam tua gloria conſeneſcat? Deficio, Auditores, ad huius Fontis miracula, atquì adhùc in origine verſamur. At Deiparæ maieſtas adoranda eſt non perſcrutanda. Quis hominum ante illam polixè audeat obſtrepere, in qua vel Dei Verbum conticuit? Claudant ora ſua mortales riui; etenim vel ideò iſte Fons patens eſt. Patet, adeſte Chariſmatum vndas excepturi hominum ſinus. Patet niuei moris Columbis, quo lotę hìc magis cęleſti ſapientia vel in infantia caneſcant. Patet affectu immodico exæſtuantibus vna temperies, ſordidatis animis abluendis baptiſma præſentiſſimum Patet Dauidis domui bellatoris, vt qui Sanguinem fudit, quo ſeſe purget, inde hauriat. Patet habitantibus terreſtrem Cæleſtemque Hieruſalem. Ergò iam tandem tanti Fontis hauſtu recreati; deinceps omnes addiſcite, vt vel fontium omnium perſcrutatoris oraculo, Plinij inquam verbis, orationem obſignem; diſcite & in Cælum migrare has aquas, animamque etiam herbis vitalem indè deferre. Diſcite omnes terræ vires eiuſmodi aquarum eſſe beneficij. Diſcite (Si quis fide carere ex his aliqua putat) in nulla parte naturæ maiora eſſe, quàm in hoc Fonte miracula. Dicam altius ac verius AA. in nulla parte Gratiæ maiora eſſe Deiparę Fonte miracula.*

Plin. l. 31. c. 1. & 2.

Dicebat Carolus Manſi; Autore Hiacyntho Duca.

FONS

# FONS PATENS,

## CARMEN.

ERgò nè Tantaleis cruciabitur æstibus Orbis?
Ergò nè squallentes sitis hauriet ignea Campos?
Nunquid Arenosis Lybiæ præcingimur Aruis,
Aut Meroes, Niliquc plagis, Canchrique sub Astris
Degimus? incumbit quà torrentissimus Axis:
Quaque die nimio, nox atra nigrantibus hæret
Vultibus Æthiopum, nec tellus imbribus vllis
Spargitur: & nullis vmbratur nubibus Æther?
Nùm Cæli periere vices? tantumque Leones,
Solis iter pandunt? nùm regnat Scirius vnus?
Eccè latent cano demersi pulnere fontes,
Garrula lympharum siluerunt murmura: Terris
Diffugere vndæ: nec spes humentis Olympi.
Hæc ego præteritam Mundique Hominumque reuoluens
Mente facem, & siccis arentia Sæcula Venis,
Versabam tacitus; Cùm Lux mihi blanda refulsit,
Nomine dè MARIÆ, plusquàm de lumine Phœbi,
Iungitur Æthereo qua Virgo Sponsa Tonanti.
O bona Lux! ò Lux gemmis, Stellisque notanda!
Quæ tulit optatos cælo, terręque liquores,
Virgineus qua Fons patuit gratissimus Orbi.
Fallimur? an nè æstu quà pridèm c[illegible]cta sedebant
Hausta, Mariano decurrunt gurgite lymphæ?
Non fallo, non fallor iò! fluit agmine puro
Perspicua: & nullis vitrenm temerata pudorem
Sordibus, humanas cœlestis lympha per oras:
Vndiquè gemmatis exundat Gratia labris:
Vndiquè tranquilla rorant aspergine ripæ,
Plenaque defundunt sitienti pocula Mundo.
Vos mihi, Castalides, quo fons eruperit ortu
Pandite, & hunc toti quæ fors patefecerit Orbi.

Phæni-

Phœnicum fines inter, Nabathæaque Regna
Stat regio pietate potens Galilęa, niuali
Amne Palęstinis, quà latè infunditur agris
Iordanis, Libanumque nigro tandem æquore mergit;
Hìc sua cognatis Thabor iuga conserit Astris:
Poneque vernanti quæ profert Nomine flores,
Colle sedens placido, Solymas quà despicit Arces,
Nazara, Sydereo gratissima Nazara Regi;
Sceptriferis honor Almus Auis, Vatumque Ducumque
Progenies niueum custodit Virgo pudorem
Pectoris, æternos illo decoranda per annos.
Huic, quamuis neglecta comas, nec diues amictu,
Cœlestes tamen ore notæ, neque casibus vllis
Formæ lapsus honos, species nec Regia longè
Transierit fortuna licet, roseusque per ora
Fulgor, & ostrigero vernans reuerentia Vultu,
Mortali de prole negant; decet vber Alumna
Altricum Charitum, & superum sua forma parentem.
Angustis degens latebris, & paupere tecto,
Empyreo regnare Polo, super agmina Diuum,
Dignaque Olympiaci Ducis ascendisse Curules.
Hæc secum meditans non vnius orsa Sibyllæ,
Et patriæ versans arcana volumina legis.
Quæque securutis referanda Nepotibus olim
Præscia fatidici cecinerunt Carmina Vates.
Dùm recolit mortale genus, feruore perustum
Tartareo, & primi vitiatum à fonte Parentis,
Quasque vno lymphas monstrarunt ore Prophetæ,
Perlustraturas numerosa piacula Mundi.
Iam secura animi, tollens ad sydera palmas,
Ardua sollicitis impellit Numina votis;
Nam fortunatum mortalibus adfore tempus,
Quo sacer æternis delapsus sedibus humor,
Nectareos haustus sitientibus adderet ægris,
Agnoscit; paulùm fletu cunctata modesto
Ingemuit; dictis tùm longa silentia soluit:

Ceruus

Ceruus vti ad fontes, ad te, Deus, Orbis anhelat,
Vena veni, veni origo boni, Fons almus Olympi.
qui cæruleis glomeratos nubibus Amnes,
iulaque Aerijs posuisti flumina Campis,
ui tumido cursum facis imbri, altasque procellas,
liasque vndas mansura lege ligasti.
ice siccatas immiti sydere lymphas.
na Tęnareo concrescunt stagna calore;
solo macies, languent fluuijque, lacusque,
ni celeres durescunt puluere riui.
gnea vis animos, artus sitis haurit hiulca.
Ceruus vti ad fontes, ad te, Deus, Orbis anhelat,
Vena veni, veni Origo boni, Fons almus Olympi.
Tu qui nascentis primæua ab origine Mundi,
Iussisti ambrosios latè diffundere rores
Verna per Eoi Paradisi iugera, fontem.
Respice ab Edenis depulsam stirpitus Hortis
Gentis Adamęæ stirpem, syluaque beata
Extorrem siccis passim tabescere Campis.
Heù vbi, nunc iucunda soli, astrorumque fluenta
Flore coronata assiduo! pro floribus ecce
Exurgunt spinæ, pro stagno immanis Eremus.
Ergò agè sydereis delabere riuus ab oris,
Labere lympha Polo, nostras mersura querelas;
Ceruus vti ad fontes, ad te, Deus, Orbis anhelat,
Vena veni, veni Origo boni, Fons almus Olympi.
Tu qui longæui per turbida sæcula Noe
Crimina terrarum censens, vaga Sydera Nimbis
Diripiens, celsasque premens sub fluctibus Alpes,
Passus es informi pluuiarum horrescere amictu
Vindice Diluuio lustrati culmina Mundi,
Igne resoluendas, expurgans imbribus Vrbes;
Eluere vndisonis cur nostra piacula differs
Fluminibus? cur sicca solum contagia perdunt?
Cerne profanatum (scelerum quot vultibus!) æuum,
En mortale genus stygijs afflatibus vstum:

Si non

Si non te noſtri tenuere obliuia; Cœlo
Mitte noua humanos merſura fluenta calores.
Ceruus vti ad Fontes, ad te, Deus, Orbis anhelat,
Vena veni, veni Origo boni, Fons almus Olympi.
Nunquid deſertis nemoroſa per auia Terris
Erramus (rubra ceù noſtri per littora Patres)
Quà latebris latè ſylueſtribus ore triſulco
Anguis hiat, mœſtiſque latens interuiret herbis,
Saxea, quà rigidos natura obduruit artus;
Tu tamen exeſas mutaſti in flumina rupes,
Quæque erat hauſta ſiti Tellus fuit obruta lymphis
Flumina nunc (eheu!) flammata in fulmina vertis:
Heu! vitrei immigrant in pigra incendia riui.
Scilicèt antiquis rorantes Patribus oras,
Lactèque manantes campos ac melle fluentes,
Et ſummis largè recluſos collibus amnes,
Pollicitus Pater es; tua nùnc vt dona moreris?
Adde fidem dictis: vana an ſpe ludimur? Almos
Da latices; Cœlo promiſſos exere ductus.
Ceruus vti ad Fontes, ad Te, Deus, Orbis anhelat,
Vena veni, veni origo boni, Fons almus Olympi.
An ne Palęſtini glomerato puluere noſtras
Obduxere iterum lymphas? Arcaque reuerſa
Hæſerunt: ſiccis Iordania flumina ripis?
Nam quę prona magis; circùm tellure peruſta?
Gens erat Iſacidum dulcis tibi Vinea quondàm;
Sed tenera (en!) Vites iam demiſere flagella,
Nec viridi tumidę pubeſcunt palmite gemmæ;
Dulcibus irrepit labruſca inuiſa racemis.
Si Vineta tui FONTIS vel rore madebunt:
Vinea florebit; trans æquora brachia tendet;
Virtutum noua feruebit vindemia mundo;
Quæque modò trunca eſt, viduataque frondibus Arbos,
Quęque modò incultus viuis ſine floribus Hortus
Squallet; ad emiſſi confeſtìm Fontis odorem
Lilia mixta Roſis, æternaque Verna profundet,

Pomaque ab Eois non degenerantia Syluis;
Functa repentino consurgent gramina lapsu.
Vnda fluat Cœli, Tellus recreabitur omnis.
Ceruus vti ad Fontes, ad Te, Deus, Orbis anhelat:
Vena veni, veni origo boni, Fons almus Olympi.
Quid loquar? abripiunt venti nùm vota precesque?
An ne (pudor) largis Ægyptia compita lymphis
Luxurient; populusque nocens, & concolor atris
Manibus, impuris tranquillos faucibus amnes
Diripiat; tantumque sitis Iessęa pererrat
Rura, Sionęæ tantùm Sacer Accola terræ
Æstuat? Ezechiel, Vates Babylonius ille,
Qui reduci exangues animari corpore formas
Vidit, & effossis exsurgere membra sepulchris,
Accelerare sitim manifesto Numine dixit.
Zacharias etiam diuina oracula pandens,
Cœlestisque canens monitus profatur Ioel:
Exibunt Solymi Fontes è limine Templi,
Qui viuo Isacios perfundent gurgite campos.
Quandò erit illa dies, multos optata per annos,
Qua tandem nostri siccata noualia Rêgni
Rorabunt, orbisque nouis lętabitur vndis?
Ceruus vti ad Fontes, ad Te, Deus, Orbis anhelat:
Vena veni, veni Origo boni, Fons almus Olympi.
Ecce homines sitiunt, deceptumque aggere ripę
Stat pecus; indagant fluuios armenta natatos,
Quis dabit arcanos laxantem Melchida Fontes?
En terra Eumenidum Stygijs obsessa cateruis
Perfurit, arescunt nullis vada sueta domari
Solibus, egesti sordent iam stagna lacusque:
Altera vbi Iudith, ductus quæ soluat Aquarum?
Quę noua monstratur populis languentibus Esther,
Exiguus ceu Fons altum quę crescat in Amnem?
Certè Iessiades Funda Dux inclytus, olìm
Bethlemios adijt, Te pręmonstrante, liquores,
Extitit atque Vrbis per Te expugnator Aquarum.

Ergò ne Dauidica nemo de ſtirpe fluentes
Rursùm aperit ſcatebras? Tu ſaltèm limine ſummo
Da nitidos latices arentia corda leuantes.
Ceruus vti ad Fontes, ad Te, Deus, Orbis anhelat:
Vena veni, veni Origo boni, Fons almus Olympi.
Talibus orabat dictis, ac plura parabat.
Cùm Sator Aſtrorum terrę opportuna referre
Dona laboranti, & Marię deſcendere votis
Certus, ab excelſo rutilum demiſit Olympo
Alipedem (ęthereę columenque decusque cohortis)
Vt diuina ferat niuęę reſponſa Puellę,
Oſtendatque nouas auidis mortalibus vndas.
Nec mora, ſubiectas, Zephyris illapſus, in auras
Carpit iter; tùnc formoſis Titania flammis
Sidera, & aduerſo micuerunt ęthere pennę.
Qualis ad Eridanum, ſeù raucę ſtagna Paduſę,
Seu vada Męandri ſublimus ab Aere Cycnus,
Pręcipitem ſe mittit agens, ſegniſque videtur,
Nec niuea ęquatas in pectora contrahit alas;
Donec flumineis lapſus potiatur arenis.
Haud aliter Gabriel liquidum per inane pererrans
Indè arces Solymum, & palmas frondentis Idumes,
Hinc Libani cedros, & oliuiferi iuga montis
Deſpicit, & tenues Marię circumſpicit ędes;
Syderea circùm procerum vallante corona,
Cuius erat ſub flore vigor, ſub flore iuuentus;
Et color in vultus ridebat vere ſereno.
Ignibus Idalijs ceù fulgidus Heſperus Aſtra
Educit; vel Dędaleum multo agmine Regem,
Cùm vernas populantur opes, examine longo
Cecropię ſectantur Apes; aut cardine Eoo
Cùm volat externas Gangeticus Ales in oras.
Alituum circà varius comitatus euntem
Obſidet, & reducem plaudit poſt fata volucrem,
Sic Supera Aligerum pubes delecta coronat.
Ventum erat ad limen, dignum Cęlo hoſpite; ſiſit,

Efferri patrios Gabriel ſibi viſus in Axes:
Ornatus faciem flammis & lumine, clauſis
Infertur portis: alta tremuere penates
Luce ſerenati, patuitque in fulgure Cęlum
Parua domus. Tunc quod nunquam Panchaia tellus,
Nunquam Indi, Ciliceſque, Palęſtinique liquores;
Spirauere lares. At maieſtate remiſſa
Se primùm in clamydes reuerentèr colligit Ales,
Tùm blandus dextra, demiſſoque ore ſalutat
Ieſſiadem. pauet hęc viſu, pallorque pudorque
Purpureos haurit vultus, ac lumina mutat,
Non ſecus ac florum varijs intenta legendis
Diuitijs patulo Regalis Nata vireto,
Aduentare videns ignoto à Principe miſſos
Prenſa viros; tingitque genas, oculique verentes
In caſtos rediere ſinus: illi aurea Pacis
Fędera tranquilli, Sanctoſque ferunt Hymenęos.
Occurrit trepidę Dux, ſolaturque timorem,
Atque iterat: Salue virtutum vberrima Vena,
Salue lętitię Fons, omnis origo bonorum,
Solue metus animo; tu vndas reſerare beatas,
Tu Mundi releuare ſitim, & cęleſtia Terris
Pocula, perpetuo largiri electa fluento.
Hactenùs arcanà, ceu *Fons ſignatus* in ęde,
Clauſa diù, cunctiſque latens exegeris ęuum;
Nunc hominum votis, fatiſque vrgentibus Axis,
*Fons eris ipſa Patens domui Dauidis & Orbi*;
Sicut aqua effuſum per te manabit ab Aſtris
Mortali ſpecie Verbum immortale Tonantis.
Concipe, Virgo, Deum ſpiranti Numine; cuncta
Vndatura dein fluxu potuque beato.
Concipe, ſpes hominum, deletrix criminis, alto
O dilecta Deo, multis è millibus vna,
Fortunata nimis Virgo, nimiumque beata;
Cui ſimilem nunquam viderunt ſęcula priſca,
Nec ventura parem poterunt habuiſſe; modeſtis
Imbribus

Imbribus humectans roseos Iesseia vultus;
Hęsit ad hęc magis, & totos expalluit artus.
Vt Fons illimis placido pellucidus amne,
Quem si aliquis iactis agitauerit vndiquè saxis,
Infremit, & nitidum non iàm sua pingit imago.
Aut vbi quis tenui specularia lucida flatu,
Aut vitrum quanuis molli turbauerit aura,
Sic decoris Virgo speculùm renuebat honores,
Multiplici repetens pręmissa oracula sensu,
Seque Dei Matrem noscens, ingentia corde
Gaudia demisso vix credit. Olympicus vrget
Legatus: quid triste paues? mandataque differs
Empyrei? Deus ille, super qui Flamine puro
Fertur aquas, nitido sibi tè spiramine iunget;
Quique mare insedit; Mariam insessurus ab Astris
Descendet; nè Virgo time, nè lumine fletus
Effundas; Cęli nectar Charitumque fluenta,
Et Superum latices totum effusura per Orbem.
Concipe, Diua, Deum. Tandèm intemerata Virago
Ore Polum referens, Diuinę afflatibus aurę
Circumsepta, pios iussus amplectitur Æthrę,
Et sibi delato lęta assentitur honori.
Tectaque suspiciens stellantia, talia reddit:
Summe Parens Cęli, rerum cui summa potestas,
Si Mundi releuare sitim placet ęthere celso,
En adsum, per memet (iò!) illabere terris:
Annuit eccè tuo imperio obsequiosa voluntas,
Vox sensusque mei: quanquam Genitricis honore
Nunquàm digna fui. Tu spes mihi certa pudoris,
Tu columen, tu noster honos: ipse omnia solus
Alme potes, vel Naturę dissoluere leges.
Mens iterum tibi paret ouans, tibi munera laudùm
Persoluit. dedit hęc placido Regina tenore.
Nec mora, cęlestes candentia nubila lymphas
Quę Dio ętthereus tenuauerat Halitus ore
Rorarunt, Marięque Mari Fons prosilit ingens,

 Qui

Qui Styga restinguat, qui mundum proluat omnem,
Quique hominum recreet cęlesti pectora Vena.
Prēmia sic sua Virgo refert; Cęlumque solumque,
Facta Parens, Fons ipsa Parens aspergine complet.
Ergò agitè, arcano qui exusta noualia lapsu
Lambitis, & campos lęto demergitis amne.
Quà solet ignipedes vrgere auriga iugales
Delius, & radijs retegit nascentibus Orbem;
Vndè priùs curru Tellus afflatur anhelo,
Et sibi vicini Titanis verbera sentit:
Vndè etiam moriens languentia lumina condit,
Et rota delapsi ęquoreo tonat Axis in alto.
Cùm fugiente die spectanda ad funera Noctis
Hesperus obscuro succendit Sydera cęlo.
Dicite iò laudes Marię iò dicite Fontes.

Fons sacer Astrigenę sedes, requiesque Tonanti,
Fons sacer ęternę largitor nobilis Vndę,
Fons Cęli speculum, Diuumque beata voluptas,
Lętus eas, quacunque via nitida ora serenas,
Immortale fluens, cęlestia flumina pandens.
Non tibi Hyperboreo terrestris bruma repostas
Monte niues, haustasque alio de fonte resoluit,
Iris aquas, fędosque indulgent flamina nimbos.
Sed tuus, & nunquàm prorsùs violabilis vndas.
Te non Ænarij medica virtute liquores,
Euganeo nec colle Aponus, nec Phocidos vndę
Pręstiterint; almis tu languida corpora Venis,
Publica morborum requies, commune medendi
Pręsidium, reficis; rapidę sitis igne sub ipso
Christiadis, festisque super celebrabere, ab alto
Numine primus honos; tu nos modò clarus hiantes
Accipias, mundòque libens tua pocula fundas.

*Dictum à Paulino Ottolini; Autore Augustino Capparoni.*

ODA.

# O D A.

DA l'Apollineo Monte
Precipitate pure alteri, e gonfi,
Più non vi bramo, armonici torrenti;
Vn più celebre FONTE
Vostre glorie assorbisce; e bei trionfi
Riporta omai de vostri dotti argenti;
Voi breui, e frali accenti
Spandete; questi a l'alme il vero infonde,
E il sempiterno Verbo in se nasconde.

A te dunque, ò Sorgente
D'immensi incorruttibili liquori,
Volgo i torbibi affetti, e sitibondi;
Tù rischiara mia mente,
E mentre applaude à tuoi sourani honori,
Alla mia lingua instilla humor facondi;
Tuoi Cristalli giocondi
Puon far lucido speglio à i sensi oscuri,
Mondare vna tua stilla i Mondi impuri.

E voi del Mar, del suolo
Argentei figli, liquidi Giganti,
Fonti vaghi, cedete à questo i pregi;
Sceso da l'alto Polo
Rend' ei del Sole Eterno i rai vibranti,
E fà Cuna tranquilla al Rè de Regi;
Stan vostri vani fregi
L'hauer da Dei bugiardi, e nome, e grido;
Quest'è del vero Nume Asilo, e Nido.

Del

*Del Libano odorato*
*Non più vantin formar gemini Fonti*
*Il crin di neue al candido Giordano;*
*Dal Fonte immacolato*
*Del Virgineo candor fia, che formonti*
*Del Giordan la Colomba, il Rè Sourano,*
*Quell' immenso Oceano*
*Hoggi in seno à Maria viensi à celare;*
*Ne sò, se Fonte io deggia dirla, ò Mare.*

*Fonte, c'à l'auree stelle*
*T'ergi, e nouella gioia à i Diui instilli,*
*E son le Ninfe tue Spirti beati;*
*Mar, che scogli, e procelle*
*Non celi, nò: mà da tuoi sen tranquilli*
*Scorgi il Mortal de l'Etra à i porti amati;*
*Mar, c'hai tesor gemmati;*
*Mà Fonte più, cui chiare stille, e fiume*
*Sono le Stelle, e de le Stelle il Nume.*

*Tacete i prischi vanti,*
*De la Mosaica Verga al gran valore*
*Rigide selci in dolci humor stemprate,*
*Voi di turbe anelanti*
*Esca poi di Ceraste auuelenate,*
*Fomite foste al sitibondo ardore;*
*Mà contro il reo liquore*
*De l'Angue Stigio è balsamo fecondo*
*De la Verga di Iesse il Fonte al Mondo.*

*Cedi Aretusa, cedi,*
*Cui sotto il Mar per sconosciuti calli*
*Seguì con chiari flutti amante alpino:*
*Da l'Eteree sue sedi*
*Attrae del suolo à le profonde valli*
*Questo Fonte gentil l'Amor diuino;*
*Hoggi il gran Peregrino*
*Quasi picciol ruscello asconde, e serra,*
*Acciò gran Fiume inondi poi la terra.*

*Vano Narciso, accenda*
*Tua Fonte in human sensi ardori insani,*
*Questa almi affetti al diuin Spirto inspira.*
*L'Acqua Vergine splenda*
*Trà Fonti superbissimi Romani,*
*Quì più verace il nome suo s'ammira;*
*Quante il suolo raggira,*
*O Pindo celebrò, spume sonore;*
*Cedano, e l'onde sue ciascuna adore.*

*Fonte Serena, e bella,*
*A te corrò, ed anelo; in te de l'alma*
*Lieto sommergo le mordaci cure;*
*Quì non temo procella,*
*Quì di pace si gode eterna calma,*
*Quì più che neue son l'anime pure:*
*Tù le mondane arsure*
*Smorzami, e contro l'Infernale orgoglio*
*Fammi ne l'acque tue costante scoglio.*

Dicta à Petro Santini; Autore Io: Nicolao Barsanti.

*ORA-*

Post Etruscum carmen ordine debebat excudi, Lector Beneuole; verùm hic desiderari Græcorum Typorum fecit defectus: cuius loco paucula verba damus, quibus eadem oratione absoluta, exultans humanissimorum A. A. multitudo dimissa est. Habuit verò hæc, & Græcam pariter Orationem;

*Ioannes Vincentius Lucchesini;*
*Autore eodem Io: Nicolao Barsanti.*

OHè! iam satis Greciç, cuius mera mera mella, magis id ętatis placerent, ab aure ad ora translata. Omnes pergręcari nunc libet, gręcissare paucos. Pręfertur Homero merum, & Atticorum venæ Attica Vina: adeò quorum manus, & ingenia odimus; nec linguam amamus, nec libros. Me dicente, Fontem patuisse, quot patuit? Ego quoque ingenuè fateor A. A. (quanuis Græcè loqui norim, mentiri ignoro) nunquàm Athenas nauigasem, vt ista edi scerem, vel ob Turcarum metum. Nimirùm ferè idem nùnc monstrum, Græcum se profiteri ac Turcam. Sed absque Fonte Caballino (nam quis indè bibat homo?) absque Somnio Bicipiti (neque enim bifrons sum Ianus) Virgineo è Fonte repentè Graius emersi.. Hui! Paradoxopios. Hui! Paradoxologos! Ain? Citò docemur, vbi Magistra est Verbi Mater omnia scientis. Hanc peregrina laude ornaturus Verba mea timui. Habitura credidi, non Græcam *fidem*, *si Græco Fonte caderent parcè detorta*. Vos A. A. si cum sodalibus meis sensu vllo iucunditatis adspersi, plausus extollite.

Excipiebat ternas dictiones priores sua quinque Etrusci Drammatis Musica admodulatio, atque concentus; quod, licèt seorsim exhibitum, nè cuiquam deesse possit, hic sudum adnectetur, cùm hæc edita fuerit

EPI-

# EPIGRAMMATVM CORONIS.

Hæc, loci anguſtia prohibente, quià non ſatìs diſtinctè exponi potuere ſeiuncta ſpectatoribus, diſtinctius hic legentibus collecta reponuntur.

I.
## FONS CEPVSIVS IN DACIA.

*IN lapides effuſa riget tua lympha lagenis;*
*Mollit hic in Fontem ſaxea corda liquor.*

Alexander Victorius Fatinelli.

II.
## FONS BVRGIS.

*Rupe cadens celſa, curris per plana ſalubris;*
*Plana ſalus, Mariæ, qui fluit Axe, liquor.*
*Stat cruor amne tuo; labentem in crimina, Virgo,*
*Defluxum humani ſanguinis vna ſtitit.*

Fridericus Ottolini.

III.
## FONS LOCHIS.

*Felle fluis peior, Sardoa & amarior herba;*
*Hinc quæcunque ſcatent nectare, amara facis.*
*Lac, & mel roſea ſub lingua Virginis vndat;*
*Omnis amarities hinc quoque mella ſapit.*

Nicolaus Luccheſini.

IV.
## FONS THARSICVS.

*Muſica verba doces qualis Permeſſidos vnda,*
*Exhilaraſque tuis triſtia corda vadis;*
*Sed numeros perdis Mariæ collatus, Olympi*
*Concentus Virgo eſt, qua tacet ipſe Deus.* Cæſar Guinigi.

V.
## FONTES ARGIVORVM.

*Gens Argiua bibit vos latè, altèque fluentes,*
*Cum ſol flammigera lampade torret humum.*

*Ast cùm Tartareis agitantur pectora flammis,*
*Manat Virgineus, grata medela, liquor.*
Thomas Paulini.

VI.

EPHINTIA FONS SICILIÆ.

*Trinacria Fons, haud tumeas, deferre tumenti*
*Immensum quanquàm gurgite ferris onus.*
*Lympha regit Mariæ, cęlum qui librat, & Orbem,*
*Quique hominum scelerum pondera magna tulit.*
Io: Baptista Forteguerra.

VII.

FONTES ELIMITÆ.

*Nè iuxtà vobis adnasci plaudite palmas,*
*Virgo Fons vnà est, almaque palma simul.*
Ioseph Saminiati.

VIII.

FONTES LEBEDII.

*Lympha homines refoues flammanti; at Virginis vnda*
*Pectora Cœlesti semper Amore fouet.* Petrus Santini.

IX.

FONS IN PHLEGRA CAMPANIÆ.

*Fętidus exundas pallenti sulphure torrens,*
*Fons Acheronteo semper odore calens.*
*Virgo calens Dijs afflatibus, halat odorem*
*Cœlestem Terris; nàm venit illa Polo.*
Coriolanus Orsucci.

X.

FONS BRITANNVS.

*Demersa in lapides, dùm transilit annuus Orbis,*
*Fontibus immutas omnia ligna tuis.*
*Sed rigidum, Mariæ extemplo mollitur in vndis,*
*Cor hominis. Mirùm! mollijt ipsa Deum.*
Fridericus Dominicus Lucchesini.

XI.

FONTES HVNGARICI.

*Ignito glomeras lymphas feruore calentes,*
*Ranarumque tuo gurgite turba natat.*

*Iessia-*

*Iessiadis fluctus Diuinis ignibus ardent;*
*Terguntúrque suis turpia quæque vadis.*
Io: Vincentius Lucchesini.

XII.

FONS SVSIANVS.

*Est tuus infaustus miseris, & inutilis humor,*
*Ore licet dentes absque dolore trahas.*
*Vtilis est Virgo, stygio quæ frangere monstro*
*Perspicuis dentes fluctibus vna valet.*
Antonius Carminati.

XIII.

FONS IN ELIDE.

*Tu curas, lassósque iuuas: est Virgo leuamen*
*Cunctis, quos scelerum vexat & angit onus.* Io: Guinigi.

XIV.

FONTES AD HÆMVM.

*Exsudant latices celsi in radicibus Hæmi,*
*Et calidi è gelido Monte salubrè fluunt.*
*Partheniј latices toto sunt Orbe salubres,*
*Frigidaque Æthereo corda liquore fouent.*
Nicolaus Franceschi.

XV.

FONS CRANONIVS.

*Terna Luce calens Vino permixta superbis?*
*Diuino semper Virgo sapore calet.* Carolus Mansi.

XVI.

FONS RHETÆVS.

*Annua dùm terris volucris redit Orbita Phœbi,*
*Vestra fluit viridi Lympha salubris humo.*
*Quæ bona languenti Mundo tua vena profundet,*
*Semper Iustitiæ Sole, Maria, micans?* Io: Antonius Moriconi.

XVII.

FONS BAIANVS.

*Nè pereant homines, perituros adijcis annos;*
*Cui bibere, æternùm viuere Virgo dabit.*
Vincentius Cittadella.

FON-

XVIII.

FONTES ROMANI.

*Terrarum Dominæ, Principis Vrbium,*
*Fontes perſpicui cedite Virgini;*
*Vos ſeptemgeminus Mons peperit ſolo;*
*Hanc ſeptemgeminus Spiritus Ætheri.*
*Veſtra vnda innumeris pendeat arcubus,*
*Pendet Virgo Polum; cuius ad vbera*
*Pendebit Deus, Iris alma Pacis.*

Franciſcus Angelus Bartolini.

XIX.

FONS TILPHOSA.

*Demittit dulces Bœotis rupibus vndas,*
*Et nimia occidit frigiditate ſenes.*
*Aſt Mariæ lymphis ſenium producitur aui,*
*Et datur extinctis vita cadaueribus.*

Benedictus Capparoni.

XX.

FONS CALLIRHOE.

*Pulchrifluus decede latex, nàm denìquè miſces*
*Atri Aſphaltitis, pura fluenta, vadis.*
*Pulchrior Iſacius terris illabitur humor,*
*Diuini irrumpens in vada pulchra maris.*

Franciſcus Honeſti.

XXI.

FONS LIPARENSIS.

*Si tuus albenti candeſcit alumine fluctus,*
*Lumine ſidereo Virginis vnda nitet.*

Paulinus Ottolini.

XXII.

FONS APVD LVSITANOS.

*Naſceris erumpunt cum verno tempore flores,*
*Flos Virgo eſt, florem Nazareumque feret.*

Bernardinus Martini.

Plura, ſatietatem veriti, prætermittimus; ſed vt fidem liberemus datam: En tibi